



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorvm, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

III. De Ivstitia Fidei Coram Deo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

Posteà verò in alijs sequentibus bonis operibus Spiritui sancto cooperatur, ea faciens, quæ Deo grata sunt: eo modo, qui iam à nobis in hoc scripto abundè satis est declaratus.

### III. DE IUSTITIA FIDEI CORAM DEO.

**T**ERTIA controuersia inter Theologos quorundam Augustanæ Confessionis orta, est de Iustitia Christi, seu iustitia fidei, quæ à Deo, per fidem, miseris peccatoribus ad iusticiam ex gratia imputatur.

Alij contenderunt, iusticiam fidei (quam Apostolus iusticiam Dei appellat) esse iusticiam Dei essentialem: quæ sit ipse Christus, vt verus naturalis & essentialis Dei filius, qui per fidem in electis habitet, eosq; ad bene operandum impellat: & hac ipsa ratione eorum sit iusticia: cuius inhabitantis essentialis iusticiæ respectu, omnium hominum peccata sese habeant inlatæ guttulæ aquæ, ad magnum mare collatæ.

Alij verò asseruerunt, Christum esse iusticiam nostram, duntaxat iuxta humanam suam naturam.

Contra vtròsq; vnanimi consensu reliqui Augustanæ Confessionis Theologi docuerunt, Christum esse nostram iusticiam non secundùm diuinam tantùm naturam, neq; etiam secundùm humanam tantùm, sed iuxta vtrànq; naturam: quippe qui nos (vt Deus & homo) à peccatis nostris perfectissima sua obedientia liberauerit, iustificauerit, atq; saluos fecerit. Itaq; asseruerunt, fidei iusticiam esse remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, & adoptionem in filios Dei: propter solam Christi obedientiam: quæ per solam fidem, ex mera gratia omnibus verè credentibus

ad 10.

ad iustitiam imputetur & ita ut ipsi propterea ab omni  
iustitia absoluantur.

Præter hanc controuersiam etiam aliæ quædam di-  
putationes de articulo iustificationis ( occasione for-  
malæ Interim seu Interreligionis ) & aliâs motæ sunt,  
quæ postea in antithesi, id est, in recitatione errorum,  
quæ puræ doctrinæ in hoc articulo aduersantur, expli-  
cabuntur.

Hic autem articulus de iustitia fidei, præcipuus est  
( ut Apologia loquitur ) in tota doctrina Christiana, si-  
ne quo conscientia perturbata nullam veram & fir-  
mam consolationem habere, aut diuitias gratiæ Chri-  
sti rectè agnoscere possunt. Id D. Lutherus suo etiam  
testimonio confirmauit, cum inquit : Si vnicus hic ar-  
ticulus sincerus permanerit, etiam Christiana Eccle-  
sia sincera, concors, & sine omnibus sectis, permanet:  
sin verò corrumpitur, impossibile est, ut vni errori aut  
fanatico spiritui rectè obuiam iri possit. Et de hoc ar-  
ticulo D. Paulus præcipuè loquitur, cum inquit : pau-  
lum fermenti totam consersionem fermentat. Atque  
ea ipsa de causa Paulus particulas exclusiuas ( videli-  
cet, sine lege, sine operibus, ex gratia, gratis ) quibus hu-  
mana opera excluduntur, in hoc articulo tanta dili-  
gentia, tantoq; zelo vrget: ut ostendat, quòd valde ne-  
cessarium sit, ut in hoc articulo non modò sincera do-  
ctrina perspicuè explicetur, verùm etiam antithesis  
ponatur, & omnia veritati contraria dogmata à pia do-  
ctrina segregentur, excludantur, & reijciantur.

Quare ut hæc controuersia piè, iuxta verbi Dei ana-  
logiam, explicetur, & per gratiam Dei componatur,  
sinceram doctrinam, fidem & confessionem nostram ad  
hunc modum recitamus.

De iustitia fidei coram Deo, vnanimi consensu cre-  
dimus, docemus, & confitemur, ( iuxta compendiarie

Christia-

Tom. 5.  
Ien. pag.  
159,

Galat. 5.

Christianæ nostræ fidei & Confessionis capita, quæ supra posuimus (quod homo peccator coram Deo iustificetur, hoc est, absoluat ab omnibus suis peccatis, & à iudicio iustissimæ condemnationis, & adoptetur in numerum filiorum Dei, atque hæres æternæ vitæ scribatur, sine ullis nostris meritis, aut dignitate, & absque ullis præcedentibus, præsentibus, aut sequentibus nostris operibus, ex mera gratia, tantummodo propter vnicum meritum, perfectissimamq; obedientiam, passionem acerbissimam, mortem, & resurrectionem Domini nostri Iesu Christi, cuius obedientia nobis ad iustitiam imputatur.

Hæc bona nobis in promissione Euangelij, per Spiritum sanctum offeruntur. Fides autem vnicum est medium illud, quo illa apprehendimus, accipimus, nobisq; applicamus. Ea fides donum Dei est, per quod Christum redemptorem nostrum in verbo Euangelij rectè agnoscimus, & ipsi confidimus: quod videlicet tantum propter ipsius obedientiam, ex gratia, remissionem peccatorum habeamus, & iusti à Deo Patre reputemur, & in æternum saluemur. Itaq; hæc propositiones sunt æquipollentes, & idem planè volunt, cum Paulus dicit: Fide nos iustificari. Aut, fidem nobis ad iustitiam imputari. Et, cum docet: quod vnus mediatoris Christi obedientia, iustificemur. Aut, quod per vnus iustitiam in omnes homines iustificatio vitæ veniat. Fides enim non propterea iustificat, quod ipsa tam bonum opus, tamq; præclara virtus sit, sed quia in promissione Euangelij meritum CHRISTI apprehendit & amplectitur: illud enim per fidem nobis applicari debet, si eo ipso merito iustificari velimus. Itaq; iustitia illa, quæ coram Deo fidèi, aut credentibus, ex mera gratia imputatur, est obedientia, passio & resurrectio CHRISTI: quibus ille legi nostra causa satisfecit, & peccata nostra expiauit. Cùm enim Christus non

Rom. 3.

Rom. 4.

Rom. 5.

Ibidem.

tantum

tantum homo, verum Deus & homo fit, in vna persona indiuisa, tam non fuit legi subiectus, quam non fuit passioni & morti (ratione suæ personæ) obnoxius: quia DOMINVS legis erat. Eam ob causam ipsius obedientia (non ea tantum, qua Patri paruit in tota sua passione & morte, verum etiam, qua nostra causa sponte sese legi subiecit, eamq; obedientia illa sua impleuit) nobis ad iustitiam imputatur: ita vt Deus propter totam obedientiam (quam Christus agendo & patiendo, in vita & morte sua, nostra causa Patri suo cœlesti præstitit) peccata nobis remittat, pro bonis & iustis nos reputet, & salute æternæ donet. Hæc iustitia per Euangelion, & in Sacramentis, à Spiritu sancto nobis offertur, & per fidem applicatur, atq; apprehenditur: vnde credentes habent reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, Dei fauorem, adoptionem filiorum, & hæreditatem vitæ æternæ.

Vocabulum igitur IUSTIFICATIONIS in hoc negotio significat, iustum pronunciare, à peccatis & æternis peccatorum supplicijs absoluerè: propter iustitiam Christi, quæ à Deo fidei imputatur. Et sanè hic vocabuli illius vsus tam in Veteri, quam in Novo Testamento admodum frequens est. Salomon inquit: Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterq; apud Deum. Isaias vñ denunciat illis, qui iustificant impium propter munera, & iustitiã iusti auferunt ab eo. Paulus ait: Quis accusabit electos Dei? Deus est, qui iustificat: hoc est, qui à peccatis absoluit.

Cum autem interdum vocabulum REGENERATIONIS pro vocabulo IUSTIFICATIONIS vsurpetur; necesse est, vt illud dextrè & propriè explicetur, vt reuouatio, quæ iustificationem sequitur, cum iustificatione fidei confundatur, sed hæc rectè à se inuicem discernantur.

Voca-

*Philip: 3.**Prouer. 17.**Isa. 5.**Roman. 8.*

Vocabulum enim Regenerationis interdum in eo sensu accipitur: vt simul & remissionem peccatorum (quæ duntaxat propter Christum contingit) & subsequentem renouationem complectatur: quam Spiritus sanctus in illis, qui per fidem iustificati sunt, operatur. Quandoq; etiam solam remissionem peccatorum, & adoptionem in filios Dei significat. Et in hoc posteriore vsu sæpe multumq; id vocabulum in Apologia Confessionis ponitur. Verbi gratia, cum dicitur: Iustificatio est regeneratio. Sed & Paulus hæc vocabula cum discrimine ponit, cum dicit: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti. Quin etiam **VIVIFICATIONIS** vocabulum interdum ita accipitur, vt remissionem peccatorum notet. Cum enim homo per fidem (quam quidem solus Spiritus sanctus operatur) iustificatur, id ipsum reuera est quædam regeneratio: quia ex filio iræ, fit filius Dei, & hoc modo è morte in vitam transfertur, sicut scriptum est: Cum essemus mortui in peccatis, conuulsificauit nos in Christo. Et alibi: Iustus fide sua viuet. Et in hac posteriore significatione Apologia vocabulo regenerationis frequenter vti solet.

*Tit. 3.*

*Ephes. 2.*

*Rom. 1.*

*Habac. 2.*

Deinde etiam **REGENERATIO** sæpe pro **SANCTIFICATIONE** & renouatione (quæ fidei iustificationem sequitur) vsurpatur. In qua significatione Lutherus hac voce, tum in libro de Ecclesia & concilijs, tum alibi etiam, multum vsus est.

Quando autem docemus, quòd per operationem Spiritus sancti regeneremur & iustificemur: non ita accipiendum est, quòd iustificatis & renatis nulla prorsus iniustitia (post regenerationem) substantiæ ipsorū & conuersationi adhæreat: sed, quòd Christus perfectissima obedientia sua omnia ipsorum peccata tegat: quæ quidem in ipsa natura (in hac vita) adhuc infixæ hærent. Nihilominus tamen per fidem, propter obe-

dientiam

sentiam Christi (quam Christus inde à natiuitate usque ad ignominiosissimam crucis mortem pro nobis Patri suo præstitit) boni & iusti pronunciantur & reputantur: etiamsi ratione corruptæ naturæ suæ adhuc sint maneatque peccatores, dum mortale hoc corpus circumferunt. Sed neque hoc sentimus, quod liceat nobis absque poenitentia & vitæ emendatione peccatis frenos laxare, in ijsque perseverare & subinde pergere.

Oportet enim præcedere veram & non simulatam contritionem. Et qui mera gratia (vt diximus) propter unicum mediatorem Christum, tantum per fidem sine omnibus operibus & meritis coram Deo iusti sunt, hoc est, in gratiam Dei recipiuntur: his etiam Spiritus sanctus datur, qui eos renouat atque sanctificat, in ipsis dilectionem erga Deum & proximum operatur. Cum autem inchoata illa renouatio in hac vita sit imperfecta, & peccatum adhuc in carne, etiam in renatis, habitet: iustitia fidei coram Deo, in gratuita & benignissima imputatione iustitiæ Christi (absque vlla nostrorum operum additione) consistit: quod, videlicet, peccata nobis remissa & tecta sint, neque nobis imputentur.

Rom. 4.

Sed & hoc diligentissimè obseruandum est, si modo articulum de iustificatione sincerum retinere velimus, ne ea, quæ fidem præcedunt, & quæ eam sequuntur, articulo huic, tanquam ad iustificationem necessaria, & ad eam pertinentia, admisceantur aut inferantur. Non enim vnum idemque est de conuersione hominis, & de iustificatione eius agere.

Non omnia illa, quæ ad veram conuersionem requiruntur, etiam ad iustificationem pertinent. Ad iustificationem enim tantum hæc requiruntur atque necessaria sunt: Gratia Dei, meritum Christi, & fides: quæ hæc ipsa Dei beneficia in promissione Euangelij am-

plectitur: qua ratione nobis Christi iustitia imputatur, unde remissionem peccatorum, reconciliationem cum Deo, adoptionem in filios Dei & hereditatem vitæ æternæ consequimur.

Quare vera & saluans fides in ijs non est, qui contritione carent, & propositum in peccatis pargendi & perseverandi habent. Vera enim contritio precedit, & fides iustificans in ijs est, qui verè, non fictè, penitentiam agunt.

1. Ioh. 3.

Et charitas fructus est, qui veram fidem certissime & necessario sequitur. Qui enim non diligit, de eo rectè iudicari potest, quòd non sit iustificatus, sed quòd adhuc in morte detineatur: aut rursus iustitiam fidei amiserit, vt Iohannes testatur. Et quando D. Paulus affirmat, fide nos iustificari, sine operibus: hoc ipse docet, neque præcedentem contritionem, neque sequentia bona opera, ad articulum aut negotium iustitiæ fidei pertinere. Bona enim opera non præcedunt iustificationem sed eam demum sequuntur. Et oportet personam primùm esse iustam, antequam bona opera facere queat.

Similiter & renouatio seu sanctificatio, quamvis & ipsa sit beneficium mediatoris Christi, & opus Spiritus sancti, non tamen ad articulum aut negotium iustificationis coram Deo, pertinet: sed eam sequitur. Quia propter carnis nostræ corruptionem, in hac vita imperfecta est, & nondum omnibus numeris absoluta. De hac re eruditè & piè D. Lutherus in præclaro illo suo & copioso super Epistolam ad Galatas commentario ad hunc modum docet: Concedimus de charitate & bonis operibus etiam docendum esse, sed suo tempore & loco, quando scilicet questio est de bonis operibus extra hunc articulum, de iustificatione. Hic autem status causæ & caput est, de quo agitur, vt scilicet quærat, non, an bona opera sint facienda, & caritas exercenda sit, sed qua re iustificemur, & vitam

æternam



ternam consequamur. Hic respondemus cum Paulo :  
sola fide in Christum nos pronunciarī iustos, non ope-  
bus legis aut charitate. Non quòd opera aut charita-  
tem reijciamus, vt aduersarij nos falsò accusant, sed  
quòd à statu causæ in alienū negocium, quod ad hanc  
questionem prorsus non pertinet, abstrahi nos, & im-  
plicari nolumus, id quod tamen Satanus maximo pere-  
molitur, & querit. Itaq; cum iam versemur in loco  
communī & articulo de Iustificatione, reijcimus & da-  
mnamus opera. Is enim locus nequaquam patitur aut  
admittit disputationem de bonis operibus. Abscindi-  
mus igitur hoc proposito simpliciter omnes leges, &  
omnia opera legis. Hactenus Lutherus.

Quare vt perturbatæ mentes certam, firmamque  
consolationem habeant : & merito Christi atque gra-  
tiæ diuinæ debitas honor tribuatur : docet nos scri-  
ptura, iustitiam fidei coram Deo tantummodò con-  
sistere in sola clementi & quidem gratuita reconcilia-  
tione seu remissione peccatorum : quæ ex mera gratia,  
propter solum Christi mediatoris meritum, nobis do-  
natur : & per solam fidem, in promissione Euangelij,  
apprehenditur. Ad eundem modum etiam fides illa  
in iustificatione coram Deo, neque contritione, neque  
dilectione, alijs uè virtutibus, sed solo Christo confi-  
dit : & in Christo, ipsius perfectissima obedientia ( qua  
pro nobis legem impleuit ) nititur : quæ obedientia  
credentibus ad iustitiam imputatur.

Et quidem neque contritio, neque dilectio, neque  
ulla alia virtus, sed sola fides est illud vnicum medium  
& instrumentum, quo gratiam Dei, meritum Christi,  
& remissionem peccatorum ( quæ bona nobis in pro-  
missione Euangelij offeruntur ) apprehendere & acci-  
pere possumus.

Rectè etiam dicitur : quòd credentes, qui per fidem  
in Christum iustificati sunt, in hac vita primùm qui-

dem imputatam fidei iustitiam, deinde verò etiam inchoatam iustitiam nouæ obedientiæ, seu bonorum operum, habeant. Sed hæc duo non inter se permiscenda, aut simul in articulum de iustificatione fidei coram Deo, ingerenda sunt. Cùm enim inchoata illa iustitia seu renouatio in nobis, propter carnem, in hac vita imperfecta sit & impura: eius iustitiæ ratione persona coram Dei iudicio consistere non potest. Sola autem iustitia obedientiæ, passionis, & uerborum Christi, (quæ fidei imputatur) coram iudicio Dei stare potest: ita quidem, ut tantùm propter hanc obedientiam persona (etiam postquam renouata est & multa bona opera habet, atque iam honestè & innocenter uiuit) Deo placeat, & accepta, in filium Dei adoptata, atque hæres uitæ æternæ scripta sit.

*Rom. 4.*

Huc referendum est, quod Paulus scribit, Abrahamum coram Deo iustificatum esse, sola fide propter mediatorem, sine operibus, idque non tantùm, cum primò ab Idolatria conuersus, nulla bona opera haberet: sed etiam cùm postea per Spiritum sanctum renouatus, multis præclaris bonis operibus ornatus esset. Et mouet Paulus quæstionem hanc, in quam re Abrahami iustitia coram Deo (propter quam Deum clementem habuerit, ipsique placuerit, & acceptus ac hæres regni Dei fuerit) posita & constituta fuerit?

*Gen. 15.*

*Heb. 11.*

*Rom. 4.*

*Rom. 4.*

Respondet autem: Ei, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam. Sicut & David dicit, beatitudinem hominis (esse) cui Deus acceptam fert iustitiam sine operibus. Quare, etsi conuersi & in Christum credentes habent inchoatam in se renouationem, sanctificationem, dilectionem, virtutes & bona opera: tamen hæc omnia nequaquam possunt aut debent immisceri articulo iustificationis coram Deo: ut re-

dem.

mentori Christo honor illibatus maneat: & cum noua obedientia imperfecta & impura sit, perturbatione conscientiae certa & firma consolatione sese sustentare valeant.

Et hoc ipsum vult D. Paulus, quando in hoc articulo particulas exclusiuas, quibus ex articulo iustitiae fidei, opera excluduntur, vt sunt hae (absque operibus, sine lege, sine merito, non nisi ex gratia, gratis, non ex operibus), tanta diligentia, tantoque zelo vrger. Hae autem exclusivae omnes hisce verbis comprehenduntur, cum docemus: sola fide coram Deo iustificamur & saluamur. Hoc enim modo opera non excluduntur: non quidem ea ratione, quasi vera fides possit existere sine contritione: aut, quasi bona opera non necessario fidem veram (tanquam certissimum fructus) sequantur: aut, quasi credentes in Christum non debeant bene operari. Sed ab articulo IUSTIFICATIONIS coram Deo bona opera excluduntur, ne negotio iustificationis peccatoris coram Deo, quasi ad eam rem necessaria, pertinentia, & requisita, inferantur & admisceantur. Et haec est vera particularum exclusiuarum in articulo iustificationis sententia: quae diligenter & sedulo in hoc articulo retinenda atque vrgenda est: propter rationes, quas statim subiiciemus.

Primum, vt per illas particulas omnia opera propria, merita, dignitas, gloria, & fiducia omnium operum nostrorum in articulo iustificationis penitus excludantur: ita quidem, vt opera nostra, neque causa, neque meriti vllius, in iustificatione, ad quae Deus in hoc negotio respiciat, aut quibus nos fidere possimus, aut debeamus, vel ex toto, vel dimidia aut minima ex parte, rationem habeant.

Deinde vt hoc officium & haec proprietates fidei solius sit, maneatque, quod videlicet sola fides & nulla prorsus alia res, sit illud medium & instrumentum, quo

I.

II.

Dei gratia & meritum Christi, in promissione Evangelij, apprehendatur, accipiat, nobisq; applicetur: & vt ab hoc applicationis officio atque proprietate charitas, omnesq; aliæ virtutes aut opera penitus excludantur.

## III.

Denique has formulas teneamus, vt neque renouatio, neque sanctificatio, virtutes aut bona opera, tanquam forma, aut pars, aut causa iustificationis, aut sub qualicunq; prætextu, titulo aut nomine, articulo iustificationis, tanquam ad eam rem necessaria aut pertinentia immisceantur: sed vt fidei iustitia tantummodo in remissione peccatorum (ex mera gratia, propter solum Christi meritum) consistat: quæ bona in promissione Evangelij nobis offerantur, & sola fide recipiantur, apprehendantur, nobisq; applicentur.

Eodem modo etiam conseruandus est ordo, inter fidem & bona opera: inter iustificationem, & renouationem, seu sanctificationem.

Bona enim opera non præcedunt fidem: & sanctificatio non præcedit iustificationem. Sed prius in conuersione per Spiritum sanctum fides ex auctore Evangelij in nobis accenditur. Illa verò apprehendit gratiam Dei in Christo: qua persona iustificatur. Cui verò persona iam est iustificata, tum etiam per Spiritum sanctum renouatur & sanctificatur: ex ea verò renouatione & sanctificatione deinceps fructus, hoc est, bona opera, sequuntur. Et hæc non ita diuelluntur, quasi vera fides aliquando, & aliquandiu stare possit cum malo proposito: sed ordine causarum & effectuum, antecedentium & consequentium, ita distribuuntur. Manet enim, quod Lutherus rectè dicit: bene conueniunt & sunt connexa inseparabiliter fides & opera: sed sola fides est, quæ apprehendit benedictionem, sine operibus: & tamen nunquam est sola. De qua re supra satis est dictum.

Ac multæ sanè disputationes hæc vera & solida distinctione vtiliter & dextrè explicari possunt: quam etiam Apologia, cum agit de dicto (Iacobi 2.) asserit. Quando enim de fide agitur, quomodo, videlicet, ea iustificet, hæc est ea de re D. Pauli doctrina, quòd sola fides, sine operibus, iustificet: quatenus nobis Christi meritum, vt diximus, applicat & communicat. Quando verò quæritur, qua in re, & quonam iudicio homo Christianus, vel in seipso, vel in alijs hominibus, veram & viuam fidem, item simulatam & mortuam fidem, agnoscere & discernere possit: (cùm multi torpentes & securi Christiani sibi opinionem quandam, loco fidei imaginentur, cùm tamen veram fidem non habeant: ) de hac re Apologia sic respondet: Iacobus eam vocat mortuam fidem, quam non omnis generis bona opera, & fructus Spiritus sequuntur. Et in hanc sententiam etiam latina Apologia loquitur. Iacobus rectè negat, nos tali fide iustificari, quæ est sine operibus, hoc est, quæ est mortua.

Iacobus autem (vt Apologia docet) agit de eorum operibus, qui per Christum iam sunt iustificati, cum Deo reconciliati, & per Christum remissionem peccatorum sunt consecuti. Cùm verò quæritur, vnde fides hoc habeat, & quid requiratur, vt iustificet & saluet, tum falsum erit, si quis dicat, fidem non posse iustificare sine operibus: vel, fidem, quatenus charitatem, qua formetur, coniunctam habet, iustificare: vel, fidei, vt iustificet, necessariam esse præsentiam bonorum operum, aut ad iustificationem: vel, in articulo iustificationis esse necessariam præsentiam bonorum operum: vel, bona opera esse causam, sine qua non: quæ per particulas exclusiuas ex articulo iustificationis non excludantur. Fides enim tantùm eam ob causam iustificat, & inde vim illam habet, quòd gratiam

Dei, & meritum Christi in promissione Euangelij ( tanquam medium & instrumentum ) apprehendit & amplectitur.

Et hæc quidem, pro ratione compendiarie explanationis articuli de iustificatione, sufficiant, qui articulus in scriptis supra nominatis copiosius tractatur. Ex his autem, quæ iam dicta sunt, facile intelligi potest, nõ modò supra commemoratos errores, verum etiam ea falsa dogmata, quæ iam recitabimus, redarguenda, repudianda & reijcienda esse.

- I. Quòd dilectio nostra, seu bona opera, sint meritum vel causa nostræ coram Deo iustificationis: aut ex toto, aut saltem ex aliqua parte.
- II. Quòd homo bonis operibus suis se præparare debeat, vt dignus fiat applicatione & communicatione meritorum Christi.
- III. Formalem nostram iustitiam coram Deo esse inhaerentem nostram nouitatem seu charitatem.
- IIII. Quòd iustitia fidei coram Deo duabus partibus constet: remissione peccatorum, & renouatione seu sanctificatione.
- V. Fidem iustificare tantùm initialiter, vel partialiter, vel principaliter: & nouitatem vel charitatem nostram iustificare etiam coram Deo, vel completiue, vel minùs principaliter.
- VI. Credentes coram Deo iustificari, vel coram Deo iustos esse, simul & imputatione & inchoatione: vel, partim imputatione iustitiæ Christi, partim inchoatione nouæ obedientiæ.
- VII. Applicationem promissionis gratiæ fieri & fide cordis, & confessione oris, & reliquis virtutibus.

Sed & hic error reijciendus est, cum docetur: hominem alio modo, seu per aliquid aliud SALVARI, quàm per id, quo coram Deo IUSTIFICATUR: ita vt sine operibus per solam quidem fidem coram

Deo

Deo iustificemur: sed tamen absq; operibus salutem æternam consequi impossibile fit.

Hoc ideo falsum est, quia è diametro pugnat cum dicto Pauli: Beatitudo hominis est, cui Deus iustitiam imputat, sine operibus. Et hoc est fundamentum Paulinæ disputationis, quòd eodem prorsus modo, & iustitiam, & salutem consequamur. Imò, quòd eo ipso, cum fide iustificamur, simul etiam adoptionem in filios Dei, & hæreditatem vitæ æternæ atq; salutem adipiscamur. Eamq; ob causam Paulus particulas illas exclusivas, id est, eiusmodi voces, quibus opera, & propria merita prorsus excluduntur, videlicet (ex gratia, sine operibus, & similes) non minùs constanter & grauter in articulo SALVTIS, quàm in articulo IUSTIFICATIONIS nostræ virget.

Roman. 4.

Præterea, etiam disputatio illa de inhabitatione essentialis iustitiæ Dei in nobis, rectè declaranda est. Et si enim Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, (qui est æterna & essentialis iustitia) per Fidem in electis, qui per Christum iustificati, & cum Deo reconciliati sunt, inhabitat: (omnes enim verè pij sunt templà Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti: à quo etiam ad rectè agendum impelluntur:) tamen hæc inhabitatio Dei non est iustitia illa fidei, de qua Paulus agit, eamq; iustitiam Dei appellat: propter quam coram Deo iusti pronunciamur. Sed inhabitatio Dei sequitur antecedentem fidei iustitiam: quæ nihil aliud est, quàm remissio peccatorum, gratuita acceptatio peccatoris, propter solam obedientiam, & meritum perfectissimum vnus Christi.

Cum igitur in Ecclesijs nostris apud Theologos Augustinæ Confessionis extra controuersiam positum sit: totam iustitiam nostram extra nos, & extra omnium hominum merita, opera, virtutes, atq; dignitatem quærendam, eamq; in solo Domino nostro Iesu

Christo consistere: dextrè considerandum est, quare ratione Christus, in negotio iustificationis, nostra iustitia dicatur. Nempe, quòd iustitia nostra neq; in diuina neq; in humana natura, sed in tota ipsius persona consistat: quippe qui vt **DEVS & HOMO IN SOLA SVB TOTA, ET PERFECTISSIMA OBEDIENTIA** est nostra **IUSTITIA**.

Etiamsi enim Christus de Spiritu sancto quidem sine peccato conceptus & natus esset, & in sola humanitate sua omnem iustitiam impleuisset, nec tamen verus & æternus Deus fuisset: talis tamen ipsius humanæ naturæ obedientia & passio nobis ad iustitiam imputari non posset. Et vicissim, si filius Dei non homo factus esset, non posset sola diuina natura nostra esse iustitia. Quare credimus, docemus, & confitemur, quòd tota **TOTIVS** personæ Christi **OBEDIENTIA**, quam ille Patri vsq; ad ignominiosissimam crucis mortem, nostra causa, præstitit, nobis ad iustitiam imputetur. Humana enim natura sola, sine diuinitate, æterno, omnipotenti Deo, neque obedientia neque passione, pro **TOTIVS** **MVNDI** peccatis satisfacere valuisset. Diuinitas verò sola, sine humanitate, inter Deum & nos, mediatoris partes implere non potuisset.

Cùm autem, vt suprà commemoratum est, obedientia illa Christi, non sit vnus duntaxat naturæ, sed totius personæ, ideò ea est perfectissima pro humano genere satisfactio & expiatio: qua æternæ & immutabili iustitiæ diuinæ (quæ in lege reuelata est) satis est factum. Ea obedientia est illa nostra iustitia, quæ coram Deo valet, & in Euangelio reuelata seu monstrata nobis est: qua fides nostra coram Deo nititur: quam iustitiam Deus fidei imputat, vt scriptum est: Sicut per inobedientiam vnus hominis peccatores constituti sunt multi: ita per vnus obedientiam iusti constituentur

Rom. 5.



ur multi. Et Iohannes inquit: Sanguis Iesu Christi, fili Dei, emundat nos ab omni peccato. Item, Iustus fide sua uiuet.

Hac ratione nobis neq; diuina neq; humana Christi natura (per se) ad iustitiam imputatur: sed sola obedientia illius personæ, quæ simul Deus est, & homo. Et hoc modo fides nostra respicit in personam Christi: quatenus illa pro nobis legi sese subiecit, peccata nostra pertulit, & cum ad Patrem suum iret, solidam, absolutam, & perfectissimam obedientiam (iam inde à patritate sua sanctissima, usque ad mortem) Patri suo celesti pro nobis miserrimis peccatoribus præstitit. Quæ sua obedientia omnem nostram inobedientiam (quæ in nostra natura, & huius cogitationibus, verbis, & operibus hæret) textit: ut ea nobis ad damnationem non imputeretur, sed ex mera gratia, propter solum Christum, condonetur atq; remittatur.

Reijcimus igitur atq; uanissimi consensu damnamus, præter supra commemoratos errores, etiam sequentes & omnes alios hisce similes: quippe qui uerbo Dei, Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ, & piæ nostræ religioni repugnant.

Quod Christus sit iustitia nostra coram Deo, tantum secundum diuinam naturam.

Quod Christus nostra sit iustitia duntaxat secundum humanam naturam.

Quod in Prophetarum & Apostolorum dictis (ubi de iustitia fidei agitur) uocabula (IUSTIFICATIO, & IUSTIFICARI) non significant à peccatis absoluere, & remissionem peccatorum consequi, sed propter infusam (per Spiritum sanctum) charitatem, uirtutes & opera, quæ inde promanant, re ipsa & reuera iustos effici.

Quod fides non respiciat tantum obedientiam Christi, sed diuinam ipsius naturam: quatenus, uidelicet,

I. Iohan. 1.  
Rom. 1.  
Habac. 2.

I.

II.

III.

III.

eam

ea in nobis habitet & operetur : & quòd per hanc in-  
habitationem, nostra coram Deo peccata regantur.

V. Quòd fides sit talis in obedientiam Christi fiducia,  
quæ existere & manere possit in eiusmodi homine, qui  
non verè pœnitentiam habeat, & qui caritate sit vacu-  
us, & in peccatis contra conscientiam perseueret.

VI. Quòd non Deus ipse, sed dona Dei duntaxat in cre-  
dentibus habitent.

Hos errores, hisq; similes: omnes vnanimiter reijci-  
mus : quia verbo Dei clarissimo repugnant. Et per Dei  
gratiam constantes perseueramus in doctrina sincera,  
de iustificatione fidei coram Deo : vt ea in Augustana  
Confessione, eiusq; Apologia perspicuè proposita, ex-  
plicata, & verbo Dei munita est.

Quòd præterea ad copiosorem huius ardui & præ-  
cipui articuli iustificationis coram Deo (in quo no-  
stra salus vertitur) explicationem requiritur, de eo  
præclarum D. Lutheri commentarium in Epistolam  
Pauli ad Galatas, ab vnoquoque consuli & diligenter  
legi monemus, ad quem breuitatis studio, hoc loco  
nos referimus.

### III. DE BONIS OPE- RIBVS.

**D**ISSIDIUM porrò ortum est inter  
quosdam Theologos Augustanæ Con-  
fessionis, de bonis operibus. Alij enim  
has propositiones vsurpârunt : Bona  
opera sunt necessaria ad salutem : Im-  
possibile est sine bonis operibus salua-  
ri : Nemo vnquam sine bonis operibus est saluatus :  
Quandoquidem à verè credentibus bona opera, vt fru-  
ctus fidei requirantur : & fides sine charitate mortua  
sit : etiamsi charitas non sit causa nostræ salutis.

Alij